



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

289. Accusatur Dominus coram Pilato de tribus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille, linguâ eorum Haceldama, hoc est, ager sanguinis.

Vers. 18. & 19.

III. Scriptum est enim in libro Psalmorū: Fiat commutatio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & episcopatum ejus accipiat alter. *Vers. 20.*

MEDITATIO CCLXXXIX.

Accusatur Dominus coram Pilato de tribus.

I. **A**dducunt IESUM à Caipha in prætorium. Erat autem manè, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exiit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? *Ioan. 18. v. 28. 29.*

II. Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam. Vt sermo IESU impleretur, quem dixit, (NB. Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum,

M 3

&

& crucifigendum. *Matth. 20. v. 19.*) significans, quâ morte esset moriturus. *Ioan. 18. v. 30. 31. 32.*

III. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: 1. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram. 2. & prohibentem tributa dari Cæsari. 3. & dicentem, se Christum regem esse. *Luc. 23. v. 2.*

MEDITATIO CCXC.

Examen de regno Christi.

I. Introivit iterum in prætorium Pilatus, & vocavit IESUM. *Ioan. 18. v. 33.* IESUS autem stetit ante præsidem, & interrogavit eum præses, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi IESUS: Tu dicis. A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? *Matth. 27. v. 11. Marc. 11. v. 2. Luc. 23. v. 3. Ioan. 18. vers. 34.*

II. Respondit Pilatus: Numquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices traderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit IESUS: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. *Ioan. 18. v. 35. 36.*

III. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu?